



774.

E

Leinwand

Wd

Blat. zu Nr. 853, P<sup>o</sup> 12

Zu 00 1/2

Angebunden

1064



1064







DE  
7  
NUMISMATE AUGUSTI  
AUREO  
FORMÆ MAXIMÆ

EX  
RUDERIBUS HERCULANI ERUTO

ET  
PRÆFATIONI TOMI II. PICTURARUM SUBJECTO  
LIBELLUS  
JOSEPHI KHELLÆ S. J.

7  
BIBLIOTHECÆ GARELLIANÆ ET REI ANTIQUARIÆ  
IN CONLEGIO THERESIANO NOBILIUM DOCENDÆ PRÆFECTI  
ACADEMIÆ HETRUSCÆ CORTONENSIS SOCII.



---


VIENNAE,  
TYPIS JOANNIS THOMAE DE TRATTNERN,  
SAC. CAES. REG. APOST. MAJEST. AULAE TYPOGR. ET BIBLŒP.

MDCCLXV.









btulerunt nobis Cl. Cl. Academici Herculanenſes ad calcem præſationis tomi II. tabularum, ſi tabulas recte ea pictorum opera nominare licet, quæ murorum tectorio conhærent, elegantiffimum Auguſti numum formæ majoris ex auro flatum, cujuſmodi cometa, ut ita loquar, nunquam in cœlo antiquario hætenus comparuit, de primo eo ſeculo ſcribo, cujuſ nullum majoris moduli aureum nec eruditiffimi Vaillantii de præſtantioribus Impp. numiſmaticis liber, etiam Romæ auctus in lucem protulerat; quarti enim ſeculi Valentiſ Imp. numum ejuſdem metalli, LI. aureos Hungaricos adpendentem, cum hoc ipſo anno a Franciſco Aug. entus erat, manibus tractavi pondere ſuo ſane magnificentum.



Ut huic omne pretium a mole adcedit, ita neque alterum præter folam magnitudinem commendat aliquid, quam studiosa in absentes numophilos cum Academicorum, tum dignissimi præsidis voluntas, atque ex singulari benevolentia profectum consilium, ut scilicet hujusmodi bellariis nonnunquam prægestationis more propositis tomos consecuturos avide expectantium patientia aliquantum leniretur. Nihil detraxi Herculansenfi numismati, cum ejus omnem laudem intra dimensionis amplitudinem consistere definivi; etenim Dianæ gradientis signum cum epigraphe SICIL, variato adclamati IMP tituli numero, aureæ minores, atque argentæ monetæ complures repræsentant.

Quamvis typus hic non est de rarioribus, videtur tamen eruditis antiquariis spinam aliquam defixisse, dubitare nempe, atque prudenter quidem, mihi videntur, an quæ hæctenus de cælatura hacce procusæ sunt sententiæ, bene sibi consent; quæ ipsa hæsitatio, & nequaquam inane quoddam novitatis studium eos induxerit, ut duabus anterioris temporis opinionibus, tertiam aliquam suam adjicerent.

Singulas recensebo: Cl. Vaillantius arbitratur, numos hos typi fere similis, neque enim de unico Herculansenfi aureo res est, ob titulum IMP. VIII., quem anno V. C. 733 adfigit, Augusti honoribus consecratos esse, quod Siciliam composuit. Havercampius cum aliis numismata hoc signo percussa ad victorias Augusti Siculas, atque illam potissimum, qua Pompeii classis anno V. C. 710 pessime ad Mylas adtrita est, retulit. Herculansenfes pro cruento cælaturæ argumento amœnius alterum substituunt, scilicet poema Augusti de Sicilia compositum.

Harum conjecturæ nullam mihi probari dum ostendo, nihil tantorum virorum nomini detraho, quin illorum imperia & nutus exequor, qui numariæ rei peritis honestissima indulgentia permiserunt, ut sententiam liberime edicant. Quæ ex ipsa ratiocinatione enascetur opinio mea, id meritum habebit, obtenturam illam tam diu, dum melius aliquid in publicum profertur, novi enim, quam optime, facilius multo esse aliena evertere, quam propria ita stabilire, ut contra adgressiones omnes sint tuto obvallata.

Quis facile videt, quamque hujus trigæ sectam id tanquam certissimum habere, Dianæ signo Siciliam repræsentari. Hoc præjudicium antequam subruam, mirari satis non possum volubilitatem antiquariorum quorundam,

pa-



parum hac in re Romanæ in re monetaria constantiæ adfuetorum, quibus signa eadem, ut nempe explicatio procedatur commodior, diversa admodum, de quibus suis in officinis IIIviri ne somniaverint quidem, indicare debent, neque ab hac labe eximius est Vaillantius.

Exemplum dabo: eadem Diana venatrix, quæ in Augusti, de quibus agimus, monetis Siciliam repræsentat, se sinit in numo Nervæ argenteo ita inscripto: COS. II. DESIGN. III. P. P. Quid hic vir eruditissimus? iisdem verbis T. II. editionis Romanæ pag. 113, quibus in Parisina pag. 112? hæc lego: *Dianæ venatricis typus in numis Romanis insolens ad designandam Nervæ patriam percussus videtur, de qua Victor: Quid enim Nerva Cretensi prudentius, magisque moderatum? Nemo nescit, Dianam a Cretensibus maxime cultam &c. cedo, an non convenisset potius ad Pamphyliam referre, quod illi co templum Dianæ Pergææ in consequente numo objicitur?*

Ad rem venio: Non insolens solum, sed præter omnem IIIvirorum monetarium morem erat, provincias aut urbes signis deorum, dearumve majoris ordinis indicare, idque tam ante Augustum, quam eo vivente, atque posteriori etiam ætate, quare frustra in præsentem aureo sub Dianæ, ut ita loquar, persona Sicilia confingitur: In familia Æmilia primum se offert Alexandria, caput turratum, quod antica habet, nequaquam Cybelem ipse existimat Vaillantius, sed solitam urbium repræsentationem: In moneta gentis Fufiæ Italia & Roma dexteram jungunt, nempe duas mulieres, quarum altera cornu copiæ, altera sceptrum gerit, sine minima numinis suspitione contuemur.

Quis observaverit, me studiose selegisse ejusmodi monetas, in quibus provinciæ aut urbis nomen cælatum erat, quod etiam deinceps faciam, ne scilicet ex vaga Vaillantii, aut aliorum conjectione aliquid minus firmum ad adfersionem meam stabiliendam adferrem. Ceterum si anepigraphos etiam numos adhibere libuisset, familia Pobjicia sub muliere scuto & duobus spiculis armata Hispaniæ imaginem mihi subpeditasset.

Quid quod in gente Claudia & Pompeia commodius etiam argumentum invenissem; tribus diversis signis Sicilia in his indicatur, in illa quidem per triquetram tribus spicis ornatam, in hac primum per fratres Catanenses, deinde per Scyllam; miror sane monetariis, & quidem vivente Augusto, in



mentem non venisse Dianæ venatricis, quam tamen paullo post cum ejusdem imperatoris capite tam liberaliter procuderunt. An non vel ex his monumentis, quibus addi potest numus Julii Cæs. ad familiam Allienam relatus, an non, inquam, rectius inferam, quoties Romani monetarii certo Siciliam in pecunia objicere volebant, aliis semper typis usi fuerant, quare cum diversum, atque deinceps etiam insolens signum hic compareat, nihil de Sicilia cogitaverint.

Erit, qui ex denario gentis Liciniæ apud Vaillantium Isidem pro Africa signatam objiciet, ast Isis signum esse confidenter nego; omitto, quæ Inlustrissimus Comes Caylus T. II. & III. *Recueil d'Antiq.* luculenter docet, plerumque hæctenus antiquarios in definiendis Osiridis, Isisque statuis fuisse deceptos, quod utriusque sexus sacerdotes pro numinibus, quibus consecrabantur, habebant, ipsæ hoc in numo compendiarie epigraphes notæ G. E. A. fati Genium tutelarem Africæ produnt, quemadmodum in aliis Genium P. R. intuemur.

Ad Augusti & subcessorum monetas progredior: ad annum V. C. 732 juxta chronologiam suam Mediobarbus, atque adeo ad annum proxime præcedentem, quo Diana primum pro Sicilia percussa fuisset, argenteum numisma refert, HISPANIA inscriptum, sed pro dea mulierem subcinctam stantem, d. duas spicas, s. duo spicula cum scuto gerentem videmus denique, quæ re præsentatio tam constans, ut eodem habitu in Galbæ numis redeat; eodem anno, quo Diana venatrix cum epigraphe IMP. IX. malleum subivit, Armenia in numis conspicitur, neque tamen sub numinis alicujus persona, sed figura cultu patrio vestita.

Prætereo Galliam, imo tres Gallias in Galbæ monetis, nequaquam Amphitriten, sed mulierem stantem ad proram navis d. gubernaculum tenentem cum inscriptione: BRITANNIA conjunxerunt IIIviri monetales. Similis ad ingenium insulæ sub Hadriano cœptus est typus, qui eam rupibus insidentem d. signum militare, s. hastam tenentem sub Antonino Pio, Commodo ad Severum usque repræsentat. Ne tædium lecturis adferam, solos numos Hadriani inspiciant velim, edicantque, an in illis provinciarum nomine signatis: AFRICA. ASIA. CAPPADOCIA. DACIA. MAVRETANIA. PARTHIA. PHOENICE. SCYTHIA aliquid præter muliebre signum cum regionis adtributis deprehendere possint.

Re-



Redeo ad Siciliam, iterum hæc in numo Antonini Pii legitur, nihil tamen de Diana etiam hic videbis, dum Britanniae typus sibi ad Severum constitit, signum muliebre videtur spicis coronatum d. lauream, s. hastam retinens: Ne quis rursus cum antiquariis nonnullis flavam Cererem conclamet, caveat, divæ injuriam inferat, etenim femina, quæ in Hadriani numo cum epigraphe RESTITVTORI SICILIAE in genu procumbens ab imperatore erigitur, spicea item corona est redimita; Ne Græci quidem, qui urbes & provincias deorum, dearumve simulacris repræsentabant, ea ad supplicis gestum habitumque detruserunt, quæro an superstitioni ad insaniam deditis Romanis simile piaculum in mentem & quidem in monumento publico venire potuerit?

Infinitus pene forem, si *Adventus*, *Restitutiones* provinciarum sub Hadriano, regiones alias sub principibus consequentibus referrem, satis arbitrator hac turba testimoniorum quivis de moribus Romanorum convictus erit non solum, sed didicerit etiam nunquam temere hoc in argumento pronuntiandum esse aliquid, nisi diligente monumentorum comparatione instituta, qua in opinione ut semper eram, ita ab eruditissimis commentariis Inl. Caylus, & Pellerin in dies magis confirmor.

Verum inquiet aliquis, cur demum SICIL numismati aureo, atque argenteis etiam aliis subscriptum? quidve tandem de Dianæ signo fiet? quid dicendum probabiliter? de epigraphe agam inferius, prius alia quædam, per quæ via dicendis paretur, præmittenda existimavi; id interim velut per transenam quæro, cur in numo Nervæ cum venatrice dea non eadem inscriptio legitur? an Romani artifices hoc uno in loco a sua conprobata constantia desciverunt? an forsitan satis in vulgus jam notum erat, quemadmodum de aliis virtutum ut Liberalitatis, Providentiæ, &c. typis, sub gradiente Diana Trinacriam semper intelligi debere? at cur tum expertissimus antiquarius imaginem ad Cretam retulisset? cur non in Nervæ moneta paucæ literæ CRET. exarata, si deos primi subsellii provinciarum hieroglyphicis fabri monetales adhibuerunt? si quis iterum inopportuno illud SICIL obtruserit, idem sed ex numo Aquilii Flori III viri cum Augusti capite signati in interpellatoris caput rejicio, nec Proserpinam nec Dianam cælatam hic video, sed mulierem feminudam, quæ a viro armato erigitur, simili nempe typo insulam repræsentavit Aquilius, quo in alio argenteo patrio habitu Armeniam flexo genu cæleri fecit.

Ad



Ad alterum respondeo, nihil aliud de signo Dianæ fiet, quam exemplum statuæ tum recens dedicatæ. Laborem hoc in argumento non parum mihi levavit Cl. le Beau Academiæ Parisinæ inscriptionum membrum dignissimum, qui VI. libellis tomo XXI. & XXIV. insertis luculenter conprobat, epigraphen: REST. conpluribus numis sub Tito, Domiciano, Nerva, Trajano inscriptam non tam tyarii vel monetæ restitutionem indicare, sed eorundem ipsorum publicorum operum, quorum imagines in metallo cælaverant. Fluit hæc ratiocinatio sane sponte ex ingenio, an infania Romanorum, qua in monumenta hujusmodi, statuas & minora etiam figilla ferebantur: Duo solum Plinii loca adducam L. XXXV. c. 1. dum hæc ornamenta *montium deficientium subsidia* nominat, subjicit: *nec cessat luxuria id agere, ut quam plurimum incendiis* (quibus scilicet vrbs sæpius erat subjecta) *perdat.* L. XXXVI. c. 15. ubi aquæ virginis magnificam deductionem ab Agrippa factam descripsit, *operibus*, ait, *iis signa trecenta ærea aut marmorea inposuit.*

Arbitror, si Romani monetarii eam æstimationem resectis operibus inpenderunt, ut eorundem æternitatem etiam apud posteros in pecunia conservatam voluerint, majori eos studio recens dedicatas statuas, ædes &c. consecratos fuisse, ut scilicet eorundem magnificentia ad exteros etiam per commercium cum Romani nominis gloria quam citissime perferretur? Idque propterea potissimum, quia hic labor non solum genio eorundem, sed posteriore etiam tempore principum voluntati quam maxime erat consentaneus; indolem ad imitationem præcipue Græcorum aut recentium operum plurimum propendisse, non uno loco per præstantissimos suos commentarios: *Recueil d' Antiquités*, nobis demonstrat omni laude major Inl. Comes Caylus, statuis non contentos, ad gemmas etiam progressos esse scalptores formarum monetariorum apud eundem leges *Tome III. pag. 162.* Quod principum voluntatem spectat, cum de Augusto hic nobis res sit, ita de eo Suetonius C. 29. *Ceteros principes viros sæpe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel resectis & excultis urbem adornarent.*

Hactenus dicta novo aliquo argumento, quod in Cl. le Beau lucubrationibus me legere non commemini, stabilire placet. Obcurrunt inter numos familiarum non pauci, quibus adjectum est: EX. S. C. ita caput Dianæ in familia Æmilia repræsentatur apud Vaillantium *Tab. V. N. 22.* Camelus cum rege Areta *Tab. VII. N. 44.* Herculis protome in Apronia *Tab. XXI. N. 4.* Capita Neptuni & Jovis in Cæcilia *Tab. XXIX. N. 22.* In Fabia Juno-



Junonis Lanuvinae *Tab. LXI. N. 12.* Tropæum navale cum Victoria in Fulvia *Tab. LXVII. N. 16.* Statua equestris in Papiria *Tab. CV. N. 4. &c.*

Profecto minime opus erat, ut potestas eudendæ monetæ argenteæ IIIviris facta ipsis characteribus designaretur, satis eorum autoritas ab senatu profecta Romanis fuerat perfecta, existimo quia paucioribus hæ notæ impressæ fuerunt, singulare quid designare debuisset, neque quid aliud, quam ea publica monumenta, quorum caput, aut partem aliquam pro denarii exigua area retulerunt fabri monetales, senatus consulto aut diis dedicata, aut in præclaram civium memoriam constituta fuisse.

Omni præterea studiose numos eos argenteos, si cum aliis comparentur etiam pauciores, in quibus S. C. solum legitur, ne Vaillantio litem intentare debeam, qui has notas quemadmodum alias, EX præpositione præmissa, profecto in singularibus numis non sine ratione cælatas, aut negligit omnino, aut explicatione tam varia, quam elumbi attingit, ut quam plurima reprehendenda forent, si de his characteribus ex proposito mihi res esset. Splenem continere debeo, dum apud eruditum cetera hunc antiquarium lego de numo in familia Æmilia N. XVII. cum epigraphe M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. *notam S. C. adposuit, ut Lepidum senatus consulto ejus principis tutorem nominatum fuisse significaret.* Velut nempe Romani in hujusmodi *περιστάσει* sine tabulis aliquid egissent unquam, aut quæ summi momenti in senatu acta fuerunt, per pecuniam denique publicari debuissent.

Ad exempla ex numis Augusti petita gradum facio, quibus sententia mea in plena luce constituetur. Victus erat anno V. C. 723. ad Actium Antonius, atque mox certioris chronologiæ scilicet IMP. V. COS. IV. inscriptus numus anno sequente comparuit cum signo Apollinis stola muliebri contexti, & in inferiori segmento adjecta epigraphe ACT. nempe quo anno statua perfecta fuerit, altum deinde silentium, si catalogum Mediobarbi spectamus, per decem & septem annos, primi enim ejusdem typi monetæ rursus conspiciuntur anno V. C. 742. cum titulo IMP. X.; Intra hoc temporis intervallum sane statua aut vitium aliquod fecisse poterat, rescique, aut eidem nova quædam ornamenta adjici cœpta fuerint, quæ monetarios ad hujus typarii præ alio selectionem incitaverint, opere anno V. C. 743. absoluto, in alterum annum, nempe quamdiu rei novitas movebat.



Si cui hæc non placent, dicam IIIviros monetales inter continuas Augusti victorias ad recentiora semper facta distractos typaria pro prioribus cælata aliquamdiu seposuisse. Altero a pugna Actiaca anno in potestatem redacta fuerat Ægyptus, posteriorem hunc felicem eventum illico, erecto tamen ante crocodili signo, denariorum fabri cum inscriptione AEGYPTO CAPTA in auro & argento vulgaverunt, ita tamen ut ipsa Nilotica bellua malleum subiret. Publicum monumentum hoc fuisse eo confidentius adfero, quia numisma aureum inter præstantiora a Vaillantio ejusdem cælaturæ cum hac epigraphe refertur: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. DAC. P. P. REST. Crocodilum hunc numi in tertium annum scilicet ad Augusti COS. VI. repræsentant, quo Romanorum oculos minus feriebat insolentis bestię squamatum dorsum, tum in VIAS MVNITAS aversos.

Quam in omnia, quæ publice posita sunt, intenti fuerint, qui A. A. F. F. præfecti erant, non existimo melius doceri posse, quam ex monetis procufis cum epigraphe: SIGNIS. PARTHICIS. RECEPTIS. Eodem, quo Diana, si placet, Sicula etiam signata est anno scilicet 734., jam intra coronam quernam, jam cum statua Parthi signa restituentis hæc inscriptio legitur, anno consequente intra arcum triumphalem continetur, tertio nempe cum TR. P. VI. circa superbam molem tribus arcibus perviam legitur. Nempe prima properatione nihil citius parari poterat, quam ara aut tabula marmorea, cui corona civica opere anaglypho insculperetur, talia monumenta resecta fuisse demonstrat numus æneus Augusti cum Titii restitutione in museo Cl. Pellerin: Interim adfurrexerit arcus, huic demum aut alæ duæ additæ, aut alter trium porticum majore temporis & sumtuum impendio alia in urbis regione structus fuerit. Ut magna hæc erant, ita ab eorundem in pecunia faciendâ repræsentatione post annum 736. cessarunt fabri monetales.

Idem profecto fatum fuerat statuæ Dianæ, de qua disputo, primum in numis cælata est cum titulo IMP. VIII., quo anno nempe 733. pro omni antiquariorum infortunio in Siciliam trajecit Augustus, neque apud Mediobarbum & Vaillantium ultra annum 744., ut ex titulo IMP. XII. liquet, comparet, nisi in aureo Herculansenfi sane præstantissimo cum epigraphe IMP. XV., id quod cum intervallo annorum 758 — 762, etenim XVI. adclamatus fuerat IMP., gerens TR. P. XXXII., congruit, nihil enim cogit admittere, eum primo illico anno, ut Cl. Cl. Academici volunt, statum fuisse; Intra spatium decem & quatuor, vel si a prima ejus dedicatione numeras, quin-



quinque & viginti annorum damnum aliquod accipere poterat hoc signum, resectumque fuerit, eorum annorum aliquo, quo IMP. XV. titulus Augustum ornavit.

Video, aut Augusti, antiquariorumve veterum clientes, aut Siciliae suae studiosos aliquos obmovere posse, signum aliquod publice propositum esse non potuisse, ex quo exemplum sui tyarii IIIviri monetales fuissent imitati, variae enim nimis sunt Dianae imagines, jam stolata, jam subcincta, jam cum cane & hasta, jam sine his adtributis sistitur. Nihil his moveor, duae statuae diverso habitu positae fuerint, aut ne servile esset imitationis studium, parte retenta, reliquum aut scalptores signorum, aut caelatores formarum monetarum mutaverint, ita C. Marius Trogus IIIvir sub eodem Augusto solam Dianae protomen repraesentat apud Vaillantium *Tab. XCIV. N. 12.* Quam varius est Diomedes in gemmis?

Sed inquires, cur ejusdem deae statuae eodem fere tempore geminarentur? Non rationibus, sed exemplis rem conficiam: profert *pag. 6.* Mediodarbus numum argenteum Julii Caes. cum hac epigraphe: **VENERI VICTRICI VOTA.** templum in moneta exhibetur hexastylon cum signo deae d. Victoriolam retinentis. Eandem statuam nobis Sepulchrum Macer & L. Buca singulis in monetis stantem, hic tamen etiam apud Vaillantium *Tab. LXXIII. N. 32.* sedentem exhibuit, Maridianus & Mettius IIIviri globum & scutum stanti adjecerunt; quia tamen numus Julii cum Venere Callipyga, Victrice etiam & Genitrice in auro restitutionem Trajani apud eundem Vaillantium *Tab. LXXVI. N. 62.* profert, necesse sane est, ejusdem deae statuas duas, & cultu situque multum diversas dedicatas fuisse, seu id demum luxuriae Romanorum, seu variae artificum imitationi tribuas.

Litem se secturos arbitrabuntur Siciliae patroni de moribus officinae monetariae convicti, si non de numo solum ob rationes initio hujus commentarii propositas cuso, sed de statu etiam, quod magnificentius, ob eandem causarum aliquam constentur. Verum has ipsas iidem, quos fortassis comminiscuntur, lapidibus aut aëris frustis tumulabo. Primam adgredior: Siciliam composuit Augustus: Quam demum turbata tum erat provincia? Roma ipsa anno 733. magis jactabatur ob comitiorum eam turbationem, ut pene necessum fuerit principem ex insula urbem repetere. Respiravit inde ab anno 717., quo ad Mylas navali pugna victus Pompejus eandem victori cessit,



respiravit, inquam, satis ad annum 733. Sicilia; Si Dionem confulo, arbitror omne negotium Augusti fuisse, ut inspectis urbibus de stabili frumentum in Italiam trajiciendi ratione aliquid constitueret, hoc enim sub τᾶτε ἄλλα Dionis comprehendi suspicor, ita ille *L. LIV. pag. 525.* Ο δὲ Αὐγεσος τᾶτε ἄλλα ἐν τῇ Σικελίᾳ διοικήσας, καὶ τὰς Συρακούσας ἐξέρασε τινὰς πόλεις ἀποικίας Ρωμαίων ἀποδείγας ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπεραιώθη. *Augustus rebus aliis in Sicilia ordinatis Syracusas, aliasque quasdam urbes coloniae Romanae jure donavit.*

Neque peculiarem hoc anno Siciliae inpendere voluisse sollicitudinem ex eodem discimus, paullo superius ita scribit: ἐν ᾧ καὶ ταῦτα ἐγγίγνετο, ὁ Αὐγεσος ἐς Σικελίαν ἦλθεν, ὅπως καὶ ἐκείνῃν καὶ τὰλλα τὰ μεχρι τῆς Συρίας καλᾶσισῆται. *Hæc dum fierent, Augustus in Siciliam venit, ut eam ac omnes alias ad Syriam usque provincias optimum in statum redigeret. Et reapse exeunte vere inde in Græciam trajecit, ubi æstatem & autumnum exegisse debuit, quia in Samo hiemavit. An forsitan ob frumenti rationes constitutas Augusto ab Siculis statua Dianæ decreta? aut hoc commodum Italiam potius, ac præcipue Romam spectabat. Gratum animum contestatæ fuerint urbes in colonias adscriptæ? Aut non minore beneficio adfecti sunt Lacedæmonii, quos infula Cythera donavit, neque tamen Dioscurorum signa cum epigraphe SPAR-TA uspiam posita leguntur, etsi Græci magis in adulationem propensi.*

Venerit etiam Siculis in mentem hoc consilium, statua tamen Romæ dedicari debuit, quod ex numis hoc typo insignibus ob cælaturæ Romanam elegantiam ipsi Cl. Cl. Herculenses Academici suspicari videntur, neque enim scalptores monetarii exterarum in regiones proficisci solebant, ut formas denariis feriundis anxie conquirerent, satis populus ille statuarum, quæ Romæ profstabant, materiæ subpetebat: Admisso, inquam, hoc Siculorum consilio, quod superius, nisi me omnia fallunt, luculenter refutavi, nego numos ad exemplar statuæ signari potuisse anno V. C. 733, obtinente chronologica ferie Mediobarbi ex titulo IMP. VIII. deducta, cui ut inniuntur Herculenses eruditi viri, ita eam non discutio.

Statua hæc Romano artifice locata fuerit, vere ejusdem anni; qui seu scalptoriæ, seu plasticæ & fusoriæ ejus temporis rationem perspexerit, nunquam sane profitebitur, signum, de quo agimus, labente eodem anno perfici, dedicari, exempla inde numorum accipi potuisse, utpote in ære ad chalybis duritiem redacto labore permolesto, atque diuturno exaranda. Ne-  
cessè



cesse ergo erit, superiore iam anno Dianam hanc publico in loco constitutam, quo tamen nulla peculiaria in Siciliam ab Augusto conlata beneficia recensent historici.

Cl. Havercampii opinionem, quam *T. VII. col. 1098.* velut dictator his verbis adnunciat: *Omnes hi numi ad ejus imperatoris victorias Siculas spectant.* Ex ipsis numis & temporum ratione evertō; cui probabitur, monetariis Romanis venisse in mentem victoriarum, quas quindecim & amplius ab hinc annis de Pompejo retulerat Augustus, præsertim cum jam Armenia, Parthia officinis monetariis fatis negotii facefferet; Illam quidem, qua Pompejus Siciliam cedere coactus est, si Mediobarbum sequimur, eodem quo reportata fuit, anno, & quidem non uno numo celebraverunt: adservantur in museis tropæa navalia, Neptuni d. acrostolium, s. tridentem tenentis, Victoriæ seu navi insistentis, seu palmam coronantis, columnæ rostratæ cum Augusti statua, in averfis, aureorum, argenteorum & æneorum numorum partibus signa.

Ex latere me hic peti posse catus animadverto; hæc scilicet statuae, ex quibus numismatum imagines descriptæ, eodem, quo profligata est classis Pompeji, anno flari, aut scalpī poterant, Diana Siciliæ, ut placet, indicium, non potuit? Non deerant ejusmodi monumenta civibus de re publica optime meritis olim constituta, ex quibus exempla sumi potuerunt, atque ut a columna rostrata ordiar, hujusmodi Duillio postam fuisse novimus: nihil Victoria coronante in denariis communius, pro tropæo palmam, ad designandam navalem gubernaculum adjecerit sculptor, palma coronata videtur in moneta gentis Bæbiæ apud Vaillantium *Tab. XXVII. N. 2.* Eadem dea proæ navis insistentis numos familiæ Fabiæ *Tab. LXI. N. 9.* Pomponiæ *Tab. CXV. N. 4.* ornat, atque ne similitudo propior desideretur, numus familiæ Æmilie *Tab. VI. N. 27.* eodem fere situ, cultu & rerum adjunctis victricem hanc deam cælatam objicit cum Lepidi epigraphæ, cum quibus in Augusti monetis ad hunc annum a Mediobarbo relatis objicitur.

Neptunum geminum habemus in familia Postumia *Tab. CXIX. N. 9.* apud laudatum sæpe Vaillantium, ex quo hætenus dicta retuli, quem typum si cum Viro de re numaria optime merito ad Consualia anno V.C. 592. edita referimus, de statua istiusmodi sane dubitandum non est. Superfluit tropæa navalia, ut ab tentata multis ex partibus adgressione liberum me præstem.



Tropæum navale fere simile repræsentat denarius gentis Domitiæ *Tab. LVIII. N. 17.* ob Cæsaris triremes ad Brundisium crematas ab Ahenobarbo, proxime ad hoc adcedit alterum in numo gentis Juniae *Tab. LXXIX. N. 24.*, quod de auxiliis Antonio & Cæsari ex Italia missis a Bruti classe cæsis explicat idem eruditus Gallus, omitto tropæum in pecunia familiæ Mumiae *Tab. XCVIII. N. 2.* quod ob adjectum EX. S. C. forsan omnium maximam haberet autoritatem. Ceterum quis me adiget, ut servili adfectione numos eos omnes Mediobarbi nulla tribunitia potestate, aut imperatoris probabili titulo, quibus indicibus carent, eidem anno V. C. 718. cum Inl. compilatore adtribuam? Quæ hæcenus disserui, evincunt, eos ad consequentem minimum annum detrudendos.

Supereft de opinionibus tertia, nova sane & singularis, quam unus aliquis forte in erudito confessu propugnavit quidem, ipsum tamen Academicum corpus non nisi ut hypothesin excitandis ingeniis utilem commentariis suis inferi permisit. Scilicet fieri potuisse, ut Illviri monetales poema Augusti celebrare voluerint, de quo Suetonius c. 85. : *Unus liber extat scriptus ab eo hexametris versibus, cujus & argumentum, & titulus est SICILIA.* Fateor me ad insolentem hanc conjectionem non parum hæsisse, etenim turba contra pugnantium rationum ex tota antiquitate mihi illico obversabatur, has aliquem in ordinem redigam; censeo hanc opinionem nec cum Græcorum, nec cum Romanorum aut ipsius Augusti moribus consentire.

Et Græci & Romani claris poetis statuas dedicarunt, ad tamen nunquam alias, quam quæ tantorum virorum vultus & habitum repræsentabant, hoc in adfero tam diu obfirmatus ero, dum equi Trojani signum vel statua Æneæ Anchisen portantis, aut ejuscemodi aliquod monumentum etiam, si fortuna dederit, numus familiæ Juliæ proferetur, in quibus aut epigraphe ΙΛΙΑΣ. aut AENEIS legatur.

Tria Pausaniæ loca ad testimonium omni exceptione majus produco *L. I. c. 21. pag. 48.* *Εἰσὶ δὲ Ἀθηνάσις ἐκόνες ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τραγωδίας καὶ κωμῳδίας ποιητῶν αἱ πολλαὶ τῶν ἀφανεσέων, ὅτι μὴ γὰρ Μενάνδρος ἔδειξεν ἢ ποιητῆς κωμῳδίας τῶν ἐς δόξαν ἠρώτων, τραγωδίας δὲ κείναι τῶν φανερῶν Εὐριπίδης καὶ Σοφοκλῆς.* *In theatro Athenis sunt tragicorum quorundam & comicorum statuae multae, horum tamen fere obscurorum, etenim præter Menandrum vix aliquis illustri nominis reperitur, ex tragicis vero nobiliorum Euripidis & Sopho-*



*Sophoclis posita sunt signa.* De nulla hic Hecuba, aut Electra ne minimum indicium.

Idem c. 25. pag. 59. de ornamentis arcis Atheniensis loquens: τῆ δὲ τῆ Ξανθίππε πλυσίον ἔσηκεν Ανακρέων ὁ Τῆος - - - - καὶ οἱ τὸ χῆμα ἔστιν οἶον ἄδωντος, ἂν ἐν μέθῃ γένοιτο, ἂν θρώπε. Xanthippo proxime adlittum est Anacreontis Teji signum - - - - ejus habitus est velut hominis per ebrietatem cantantis. En ut poetæ lepidissimi indoles quam optime ab artifice est efficta, frustra Amorem aliquem, aut Venerem circumspicis odæ ejusdam argumentum; Nec L. V. c. 26. pag. 446. Hesiodi statua Theogoniam refert, quod ex ære flatum, atque columnæ inpositum Homeri signum ante fores Delphici templi L. X. c. 24. pag. 857. commemorat, inscriptionem quidem habet, cave tamen de *Batrachomyomachia* cogites, καὶ, αἶτ, ἐπιλέξει τὸ μάντευμα ὃ γενέσθαι τῷ Ομήρῳ λέγεται κ. λ. λ. *leges oraculum*, quod ajunt Homero ab Apolline de sua patria factum. &c.

Ne Græcis omnia constipem, eundem morem Romæ fuisse compendio quidem, adtamen multa complexo, certiores nos reddit Plinius Histor. Nat. Lib. XXXV. c. 2. pag. 680. Non est prætereundum, inquit, & novitium inventum. Siquidem non solum ex auro, argenteo, aut certe ex ere in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in locis iisdem loquuntur. Si illos dedicatos dicit, qui in repositis ibidem libris loquebantur, profecto eorum vultus, non vero ideæ titulorum, qui eorum scriptis præfigebantur, flatæ fuerunt, ut ex sequentibus magis liquebit.

Prosequitur: quin imo etiam, que non sunt, finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero evenit. Quo majus, ut equidem arbitror, nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Frustra hic aliquem offendet novitium inventum, quo referendum sit, mox indicat autor: *Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit.* Nempe novitium quid Romæ erat, bibliothecam publicare, statuarum ratio pridem eadem fuerat, vel si fingerem etiam hoc Pollionis fuisse inventum, Augusti eum ætate vixisse, vulgo notum est.

Ceterum si inter tropæa de Armenia, Parthia, gentibus aliis etiam principis sui poësin honorare voluissent, arbitror Pegasum potius eos dedicaturos



turos fuisse, quam figuram, quæ poematis argumentum etiam cum titulo objiceret spectantibus, magis illud simplici eorum gravitati congruebat, neque sine anterioris temporis domestico exemplo; Familiæ Titix denarios habemus, quarum averfam partem alatus hic equus ornat, typum hunc ex signo Romæ dedicato desumptum esse, conprobat numus, qui Trajano restitutionis laudem adscribit.

Sunt cum Begero plures antiquarii, quin eos objectio Havercampii de asse ejusdem familiæ, velut nempe non plures hoc prænomen habuissent, perturbet, sunt, inquam, qui hoc monumentum poetæ Lyrico, & Tragico adtribuunt, de quo canit Horatius *Ep. L. I. ep. 3.*

*Quid Titius Romana brevi venturus in ora ?  
Pindarici fontis, qui non expalluit haustus,  
Fastidire lacus, & rivos ausus apertos,  
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis  
Thebanos aptare modos studet auspice musa?  
An tragica deservit, & ampullatur in arte?*

Fateor, si mei id hic foret negotii, ab hoc Titio mentem ab ipso versu primo Horatii, ad alium aliquem anterioris temporis abstrahendam & forsitan ad illum, quem ex Ciceronis Bruto Cl. Havercampius indicat. Ut ut sit, liquet ex consensu virorum eruditorum Romanos jam olim poetæ hocce signum, utpote Apollinis & Musarum adtributum, dedicavisse.

Needum a moribus Romanorum abeo, certum est, nequaquam liberum illum populum præsertim sub monarchiæ initium in vilem erga principes adulationem propensos fuisse, cedo jam, an vel in Græculis toleranda ea fuisset, qua Augusto ob poema *Sicilia* statuum erexissent? summa confidentia hæc dico; quantumcunque ob suos versus insanierit Siculus ille tyrannus, apud nullum tamen historicum statuas Dionysio ab adentatoribus ob tragediam aliquam positas fuisse, adnotatur, harum si vel unam Syracusæ habuissent, ex hominis delirio arguo, ad hanc potius velut ad tropæum Philoxenum religatum, quam in latomias abreptum fuisse; ob Atheniensem illam in Lenæis victoriam epulas, sacrificia, nihil publici monumenti decreta esse legimus.

Cre-



Crescit vis hujus argumenti, si non mutilum, ut factum est, Suetonii locum, tum ipsius Augusti mores perpendimus. Ita Tranquillus *c. 85. unus liber extat scriptus ab eo hexametris versibus, cujus & argumentum & titulus est SICILIA.* Sed velim, quantum hoc demum poema? mox subjicitur. *extat alter æque modicus epigrammatum.* Scio apud bonos scriptores vocabulum *modicus* duplicis esse notionis, ita, ut *humile* quid, atque etiam *parvum* designet, posteriore & Augusto minus iniqua sententia interim utamur, poemation ergo erat, atque paucorum carminum libellus. Verum urit me id, quod præmiserat Suetonius: *Poeticam summam adtigit.* Si latine intelligo, *summam* idem est ac *carptim, obiter, ἐπιλίγω,* quid a tali poeta expectandum sit, quivis facile videt, sane qualis illius Ajax fuerit, ipse Augustus fatis inter familiares eo joco professus est: *Ajacem suum in spongiam incubuisse.*

Vidimus, quantum, qualeve fuerit Octaviani poema, & ob hujusmodi scriptum Cæsari Dianam illam, ad æternam nempe nominis gloriam dedicatam fuisse quis in animum inducere poterit? arbitror neminem, qui Augusti mores pernovit. Luculentum Suetonii testimonium quam maxime adversatur *c. 89. ita concludit: componi aliquid de se nisi & serio, & a præstantissimis offerebatur: admonebatque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolescere.* Nempe qui noluit, ut qui in theatro carminum certaminibus committerentur poetæ, humile aliquid de majestate sua canerent, is passus, id Romani ausi fuerint, ut ejus nomen ob poemation omni ratione modicum confuturo publico monumento non solum obsolescat, sed ludibrio etiam traducatur.

Quid si nullum facerem hunc Augusti libellum? sane subtracta infirma basi præclara illa Sicilia conlaberetur; hocque ipsum mihi tam facile est, quam vulpes pirum comest, argumentum de hegantibus, non parvi apud historicos, atque præcipue criticos hodiernos ponderis ex Senecæ ad Lucilium *epist. LXXIX.* ita instruo: varia dum sibi petiisset de Siciliæ ingenio, atque mirandis perferibi, ad Ætnam delabitur etiam: *Ætnam, ait, describas in tuo carmine, & tunc solemnem omnibus poetis locum attingas, quem quo minus Ovidius tractaret, nihil obstitit, quod jam Virgilius impleverat, ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit: omnibus præterea feliciter hic locus se dedit, & qui præcesserant, non præripuisse mihi videntur, quæ dici poterant, sed aperuisse.*

Velim, cur vir in augusta domo cum alumno suo agens, cui bibliotheca, & forsan domesticum tabularium patuerit, qui ad Neronem incitandum



dum majorum exemplis commodissime usus fuisset, altissimum hic de Augusti Sicilia taceat? an non jure optimo pronunciabimus, aut prolapsum fuisse, narratione aliqua adrepta, Suetonium, neque unquam carmen istiusmodi existisse, aut si liberales fumus, tale fuisse, cui forsan Augustus ipse spongiam inleverit, aut tam *modicum*, ut ex reverentia Augustæ familiæ ejus mentionem ne inferendam quidem cenfuerit Seneca?

Obgeres: ratiocinationi huic ex auctoris silentio petita scutum nullo negotio obponi ex Virgilio; Nemo negaverit, hunc artis principem in discernendis poeticis operibus exquisitissimæ fuisse aciei, hunc tamen ipsum de Augusto cecinisse *Ecol. VIII. v. 10.*

*Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.*

Scio Almeida in commentariis ad Suetonium pag. 311. huc prolapsum esse, verum novi plurimos, qui rectius sentiunt, grammaticos, hæc in Pollionis laudem scripta fuisse, multis rationibus stabilientes: qui vero etiam de Augusto hic sermonem esse, melius, quam Almeida, tuentur, mecum sentiunt, respiciunt scilicet ad illud, quod superius ex Suetonio adduxi, voluntate principis edictum fuisse prætoribus, videant, ne a commissis in certamen poetis aliquid de se proferatur, quod oleum & admorsos ungues non faciat; atque huc spectant illa Horatii, quibus epistolam ad Augustum concludere incipit:

*Sed neque parvum*

*Carmen majestas recipit tua, nec meus audet*

*Rem tentare pudor, vires quam ferre recuset.*

Venio ad scopulum, in quem productæ tres conjecturæ inpegerunt; si statua Dianæ, inquit, nec ob compositam insulam, nec ob relatam de Pompejo victoriam, aut poema Augusti est constituta, cur tamen segmentum inferius numi epigraphen SICIL præfert? Nequaquam insulæ nomen, sed ædilis, qui signum dedicavit, ita lego: *Sextus ICILius*. De Harduinismo clamari audio, quibusve demum id argumentis efficiendum sit, peti; Harduinismi adulationem tantisper suspendi velim, argumenta partim ea erunt, quæ ut viam conplana em, præstruxi, partim ala quædam Colophonorum, quæ hæctenus in infidiis conquievit.

Nemi-



Nemini adhuc venit in mentem, ut in denariis, qui eodem fere tempore comparant, atque in antica caput Augusti, in postica Apollinem stotatum cum IMP. item titulo crescentibus numeris repetito exhibent, ut inquam illud ACT. infima parte cælatum de Actio urbe interpretaretur, nempe, quia Romanis extra morem erat, urbes aut provincias deorum primi ordinis signis indicare. Eandem rationem etiam hic toto suo pondere premere quis intelligit, quid in hujusmodi angustiis aliud præsidii antiquariis, quam ut probabiliter subspicentur, literas inscriptionis separandas, in qua nempe negligentia aliquæ interpunctiones omiffæ.

Reponi poterit, expressum in his monetis diligentissime punctum, quod abruptum *Sicilie* nomen indicet, quare nulla ratione oscitantæ arguendos scalptores monetarios velut S ab I sejungere omiserint, præsertim cum tam in numis Augusti, quam familiarum prænomina vel agnomina suis obelis sunt distincta; nequaquam hoc inficior, verum produci plures possunt denarii, in quibus etiam præsentem ultimo puncto antè illud desideratur, cujus absentia non raro tironibus crucem figit, ita in collectione nostri collegii in numo tam parum detrito, ut a malleo fere adhuc calidus videatur, gentis Afraniæ SAFRA cælatum est, verum tam nota hæc sunt, ut exemplis abstinere possim, ipse elegantissimus aureus, in cujus explicatione verfor, atque in cujus typario scalpendo major cura adhibita fuerit, tam in adversa, quam averfa parte punctis, quæ compendia literarum, aut titulorum finem definire in aliis solebant, destituitur.

Ceterum ne de punctis hic litigemus, S. Icilium interim repono, in eo tamen semper firmus, Romanum nomen inscriptum fuisse & statuae & numo, Sicilium Coronam virum senatorium substituo, si placet, de quo Dio *L. XLVI. pag. 358. edit. Steph. Καί τις Σικίλιος κορωνᾶς βουλευτῆς ὤλικερὸς τὸν Βροῦλον τὸν Μάρκον ἀπέλυσε, καὶ τό τε μὲν αὐτὸς τε ἐπὶ τείῳ μέγα ἤυχει, καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ἐπαίνας κρύφα ἐλάμβανε. κ. τ. λ. Sicilius aliquis Coronas senator M. Brutum in publico confesso absolvit, qua de sententia tum multum gloriatus, clancularias etiam aliorum laudes tulit &c.*

Esti hic subinde proscriptus & necatus fuerit, ne monetariorum curiositatem nimis languidam faciamus, ex familia tamen aliquis, ut benevolus erat Augustus, in gratiam receptus ( ut ipse Julius proscriptorum filios ad munia publica admisit, teste Suetonio ) statuam hanc dedicasse potuit, quo



posito, omni orthographiæ, & chronologiæ, injecto vel injiciendo scrupulo liberi non solum statuæ, sed numi epigraphen ex Romanis moribus conceptam habebimus. Siciliæ familiæ confirmationem Cl. Cl. Academici domi suæ etiam capere poterunt, si lapis a Muratorio pag. *MCDX. N. 4.* indicatus in hanc diem apud Cæsarem Cardunium aut hæredes adferatur; Eccum, quantum huc pertinet:

D. M  
TITIVS. SICILLIVS  
SATVRNINVS  
SICILLIAE PROCVLAE  
DVLCISSIMAE, ET  
CARISSIMAE CON  
IVGI &c.

Neminem hic turbabit duplex L, satis novimus quadratariorum, ut cum scriptoribus hujus argumenti loquar, errores, atque in eum, qui in prænomine Titi est lapsus, sine injuria alter etiam error geminatae literæ tribui poterit; Vel si etiam in mendo cubat Dio, cujus tres Garellianæ bibliothecæ editiones consentiunt, alteram ex geminis literis a monetariis omissam nonnunquam esse, docet numus familiæ Fanniæ apud Vaillantium *Tab. LXIII. N. 1. M. FAN. C. F.*, gentis Gelliæ *Tab. LXIX. CN. GEL* inscripti; si quis urserit, frequentius geminum elementum retineri, ita *Tab. IX. legi C. ANNI. Tab. XXXVII. L. CASSI. Tab. LXIX. HERENNI. Tab. XCV. MEMMI* &c. his ipsis argumentis a mendi suspicione purgabo Dionem, quia elementum I. in his adjici solitum in numo nostro desideratur. Sed ad rem, quæ huc maxime facit, est redeundum.

Utramque paginam implem, si ex Pausania nomina eorum, cippis inscripta recitarem, qui monumenta publica per Græciam constituerunt; Quam avidi hujus gloriæ fuerint, inde conjici potest, in numis ipsis, quorum imagines ex statuis sumptæ fuerant, dedicantium nomina fuisse inserta; testantur id ænei majoris formæ Antinoo cusi, atque complures alii, in quibus solemne illud *ΑΝΘΗΚΕ* legitur. Quam parum Romani in hac laudis adpetitione concesserint Græcis, uno Plinii loco conficiam.

L.



*L. XXXIV. c. 8. pag. 659. edit. Hard. ita scribit: In mentione statuarum est & una non prætereunda licet autoris incerti juxta rostra Herculis tunicati Eleo habitu Romæ, torva facie sentienteque suprema in tunica. In hac tres sunt tituli: L. Luculli imperatoris ex manubi's: alter pupillum Luculli filium EX. S. C. dedicasse: tertius T. Sempronium Sabinum edilem curulem ex privato in publicum restituisse. Atque præclare pro re mea hunc in modum concludit: Tot certaminum, tanteque dignationis simulacrum id fuit.*

Propius jam ad historiam nostræ Dianæ adcedamus. Retuli superius ex Suetonio, Augustum ipsum autorem fuisse viris principibus, ut pro facultate sua urbem monumentis vel novis vel restructis, & excultis ornarent, narratæ huic adhortationi mox subjicitur: *Multaque a multis extracta sunt. Sicut a Marcio Philippo ædes Herculis Musarum, a L. Cornificio ædes Diane &c.* Hic fisto, quia arbitror, me nostram Dianam manibus tenere, cenfeoque, subcinctam illam cum cane ibidem positam fuisse dedicante aut curante ædile Icilio; hanc potius in templo constitutam esse inde conjicio, quia ab injuriis quibuscunque magis tuta refectione non egebat, alteram vero stolatam ab excitationis hoc novo ornamento civibus & artificibus sub dio erectam fuisse, eo fere exemplo, quod supra de duobus Veneris Genetricis aut Victricis signis commemoravi.

Quare ut illud Callipygæ a Trajano, ita stolatæ Dianæ alterum ab Augusto restructum fuerit eo anno, qui titulo IMP. XV. in aurea majori moneta signato respondet, more nempe tum necdum inducto, ut ejusmodi restitutionum memoria ipsa in numi epigraphæ celebraretur, sicut etiam post Trajanum est abolitus, etsi imperatores in hujusmodi refectionibus non minus diligentes fuisse sciamus ex inscriptis lapidibus, de quibus horum conlectores videri possunt.

Nec numi ad hætenus dicta demonstranda desunt: inter monetas gentis Claudiæ *Tab. XLII. N. 37.* a Vaillantio recensetur aliqua, quæ antica parte protomen Dianæ cum epigraphæ EX. S. C. in postica templum tetrastrylon repræsentat, cum signo deæ aliquantum diverso, adjecta inscriptione: AED. CVR. ubi laudatus antiquarius ipse de restitutione hujus ædis a Marcello cum conlega suscepta suspicatur. Puteal illud, quod in familia Scribonia consignatur, ab aliquo ex majoribus restitutum, dedicatumve fuisse,



dubitare me non finit nomen nimis pervulgatum, ut ex Horatii *Ep. XIX. L.*  
 I. conjicio, ubi:

forum, putealque Libonis

Mandabo ficcis,

Quidam ex nepotibus aut excoluerit, aut refecerit aram hanc vel bidental, hinc in altero numo LIBO. in altero SCRIBON. subscriptum legitur, aliquid beneficentiæ etiam huc contulerit deinde Augustus, quod præclarus ille apud Haymium numus argenteus *Tom. II. pag. 172. edit. Ital. Latin. nostræ pag. 214. Tab. XXV. N. 7.* contestatur, in hoc tamen ipso epigramma est: SCRIBON. vetus nempe illud, quod cum Augusti titulis, ut nomen nostri Icili, conjunxerunt monetarii.

Verum obgerit aliquis, an ergo in numis Aquilii Flori *Tab. XXI. N. 4. & 5.* apud Vaillantium, quorum posterior cum capite Augusti profusus, etiam S. ICILIVS legetur? non veto, profecto etiam statuat sapit horum numorum cælatura; ceterum nihil me hic, ut in alio cum signo Dianæ ab lectione *Sicilia* cogit discedere, provinciam ex belli servilis calamitatibus a viro armato relevatam exhibet, more deinceps etiam conservato ab artificibus, & monetæ fabris. Neque magis de Augusti in insulam promeritis forsitan cogitaverit monetarius, quam dum florem in averfa capiti Augusti conjunxit, ut enim in hoc denario ad suum nomen adlusit, ita in aliis confusum ab uno suæ gentis servile bellum repræsentare voluerit.

Urgebis: simillimam in utriusque typi numis characterum dispositionem, utrobique SICIL. sculptum esse denique, quare hanc ipsam similitudinem exigere, nisi pro libidine fingamus, ut vocabulum aut nomen idem legatur etiam; viderit, qui ita est, ne converfo argumento Sextum Icilium præter suam opinionem ipsis Aquilii numis inferat.

Video, illis, quibus Icilius displicet, id ad extremum in mentem venire posse, ænigma forsitan nulla ratione certius solvendum, quam legendo: *Siciliensis* nempe Diana, ut in aliis numis lectio *Adlius* omnium consensione probatur. Fateor commodius hic aliquid in medium proferri præ vulgata illa de SICILIA. sententia, gentile hoc non uno loco in Cicerone legimus, quare istiusmodi vocabulum nec marmora nec numismata dedecet, exemplum etiam



etiam ab Apolline *Actio* opinionem primo intuitu certiore reddere videtur. Metuo tamen, ne ex fratris moneta petatum argumentum epigrammati fororis oblit quam plurimum.

Diverſa utriuſque admodum eſt ratio, non ſolebant veteres monumentis publicis ænigmata inſcribere; quæ in horum titulis abrupta per conpendium proſtabant tituli vocabula, vulgo nota fuerant, nemo proſecto ad epigraphen ACT. adhæſit, quippe Actii Apollinis cognomen omnium ore circumferebatur, audin Propertium *L. IV. Eleg. 6. v. 57.*

*Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod ejus  
Una decem vicit miſſa ſagitta ratis.*

Atque ne quis dubitet de eodem, qui in numis Auguſti ſignatus eſt, Apolline rem eſſe, ipſius ſtatuam alio in loco ſimillimo cultu depingit.

*L. II. Eleg. 31.* apud Cynthiam de tardiore ſuo adventu ſe excuſat in hæc verba:

*Queris, cur veniam tibi tardior? aurea Phæbi  
Porticus a magno Cæſare aperta fuit.*

En quam in ſtatuas & publica ornamenta ferebantur Romani, nec amicæ gemitus Propertium a contemplanda diutius etiam porticu abſtinuerunt, hanc ubi deinde adcurate ad Suetonii, & Plinii narrationem pluribus verbis deſcripſiſſet, ita concludit

*Deinde inter matrem deus ipſe interque ſororem  
Pythius in longa carmina veſte ſonat*

Proferatur jam aut Græcus aut Romanus historicus, verſiculus ex poeta aliquo, ara quædam, vel fragmentum antiqui lapidis, in quo aliquod de Diana *Sicilienſi* fiat indicium, ut de Ephēſia, Pergæa, aliis; inter LX. diverſa deæ cognomina apud diligentiffimum hac in re Pauſaniam de Sicilienſi altum ſilentium; proſecto cum in exemplis hujus ſtatue ita ut in Apolline Actio & ſub idem tempus, pene dicam inſaniyerint monetarii, ut eandem Dianam cum IMP. VIII. IX. X. XI. XII. XV., qui nec in Actii monetis le-

gun-



guntur omnes, aliquod de nomine *Siciliensis* documentum adesse deberet, si aliquando hoc nomine nota fuisset. Consulantur compilatores alii, nihil de novitio hoc cognomine leges, etsi adnotetur Aricina & Aventina, de qua item canit Propertius *L. IV. Eleg. 9. v. 3.*

*Phyllis Aventinæ quædam est vicina Diane.*

Ad tale aliquod testimonium, spondeo, me Icilium meum illico abmoturum, neque vel minimam molestiam facessiturum familiarum Romanorum scriptoribus, ut has ambas, aut harum alteram catalogis inferendo Vailantium, aut Morellium feliciter augeant.

Etsi tamen ipse legero *Siciliensis*, tribus illis antiquariorum conjecturis nihil melius erit consultum, nam, primo nequaquam statua posita fuisset poterat ob res in Sicilia ordinatas, aut beneficia Augusti, communia enim omnia etiam provinciis aliis superius ostendi; quid quod tum probabilius multo cippi epigramma in hanc sententiam conceptum fuisset: COLONIAE SICIL, aut A. COMMVNI. SICILIAE, quod statuis Verris Romæ positus incisum fuisset queritur Cicero Act. II. Deinde ad victoriam de Pompejo non congruit, quia non illico post felicem hanc pugnam, ut Apollinis *Actii* signum, sed XV. demum anno in monetis comparuit. Denique nequaquam ob Augusti poema dedicata fuerit, alias enim profecto in Suetonio legeremus: *Unus liber extat scriptus ab eo hexametris versibus, cujus & argumentum & titulus est (non Sicilia sed) Diana Siciliensis.*

Quidni ergo rursus ad Siciliam nostram, aut ædilem S. Icilium redeundum erit, dum, non ex ingeniis excitatis solum, quæ sæpe in literariam luxuriam abeunt, sed moribus & monumentis Romanorum adcurate inter se expensis melior quædam sententia procudatur, quod ut fiat quam citissime, ut rei numariæ vortat quam optume, plurimum cupio, me interim eo Horatii *L. I. Ep. 1. ad Mæcenatem v. 33. consolabor* :

*Est quædam prodire tenus, si non datur ultra.*

F I N I S.




153529

AB 153529


X244 9673

R









DE  
7  
NUMISMATE AUGUSTI  
AUREO  
FORMÆ MAXIMÆ

EX  
RUDERIBUS HERCULANI ERUTO

ET  
PRÆFATIONI TOMI II. PICTURARUM SUBJECTO

LIBELLUS

7  
JOSEPHI KHELLER S. J.

BIBLIOTHECÆ GARELLIANÆ ET REI ANTIQUARIÆ  
IN CONLEGIO THERESIANO NOBILIUM DOCENDÆ PRÆFECTI  
ACADEMIÆ HETRUSCÆ CORTONENSIS SOCII.



---

VIENNAE,

TYPIS JOANNIS THOMAE DE TRATTNERN,  
SAC. CAES. REG. APOST. MAJEST. AULAE TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXV.